



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

555. An Vicarius eligi possit ad certum & determinatum tempus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

6. De cetero, licet inspecta juris communis dispositione sufficeret ad Vicarii Capitularis electionem pluralitas illa votorum; nihilominus ubi adesset statutum alicujus ecclesie apostolica auctoritate firmatum, & in viridi observantia, ut ad electionem Vicarii generalis duæ ex tribus partibus suffragiorum concurrere debeant, aliàs electio facta sit irrita, illud statutum omnino servandum esset. Pignat. tom. 9. consult. 78. per tot.

Quaestio 552. An si propter non habitam pluralitatem votorum electio Vicarii Capitularis sit nulla, revalidari possit ex subscriptione literarum patentium facta à majore parte Canonorum.

R Esp. Negative. Pignat. tom. 1. conf. 23. nu. 7. vota enim dari debent collegialiter, & in Capitulo, ita ut non sufficiat consensus postea datus utri à singulis. Pignat. loc. cit. citans Innoc. in c. in Genes. de elect. nu. 7. Butrio ibidem n. 28. & plures alios. Nec obstat, Tridentinum non dare formam præcise eligendi Vicarium Capitularem; satis enim est, quod dicat electionem faciendam à Capitulo; non autem dicitur facta à Capitulo, dum non est facta à majore parte collegialiter congregata, etiam si postea Canonici utri singuli accesserunt in numero sufficiente. Pignatell. juxta c. in Genes. & c. auditus de elect. & ibi DD. pro quo etiam citat Bertach. de Episc. l. 1. p. 3. q. 2. n. 8. Mirand. in manual. Prælator. fo. 3. q. 13. n. 29. concl. unica. Sigism. de Bononia de elect. dub. 111. nu. 3. &c. Neque etiam revalidari poterit electio talis, etiam si electus propria electioni suæ consenserit, & consensus ejus reputetur, ut dictum, pro uno suffragio ad constituendam pluralitatem votorum, nisi præstitit illum consensum in Capitulo & electione. Pignat. loc. cit. n. 9.

Quaestio 553. Num electio Vicarii ex hoc vitietur, & reddatur nulla, quod quis idoneus rejiciatur à numero concurrentium & eligendorum.

R Esp. affirmative. Quisquis enim idoneus de jure potest eligi; adeoque non potest à concursu repellì, ut patet in concurrentibus ad parochialem. Insuper relectio idonei habet vim voluntariæ contestationis ad certum numerum eligendorum, quæ non permittitur electoribus in præjudicium aliorum; & si quis repellatur, ex hoc ipso electio dicitur restricta & coarctata; ita ferè Pignat. tom. 6. consult. 92. nu. 1. qui etiam nu. 2. addit, idoneum in præsentem esse illum, qui est Doctor, & qui sæpe in Vicarium Capitularem fuit electus, ut proinde non esset super hoc iteranda inquisitio, pro quo citat Peyr. de subdito tom. 1. q. 1. c. 31. nu. 10. Castellan. de elect. c. 13. nu. 21. Gonz. de reg. 8. gl. 4. nu. 84. & aliquot Rotæ decisiones. Quin & fore tale electionem non solum irritam, sed & attentatam, si ab hujusmodi declaratione electorum appellatio interponeretur, ait Pignat. loc. cit. n. 3. vide eundem de his pluribus num. seq.

* *

Quaestio 554. Nullitas electionis Vicarii Capitularis qualiter, & coram quo deducenda, & objecta qualiter repellenda.

R Esp. Si proponenda nullitas contra electionem unius ex electis, vel contra unicum electum & deputatum in Vicarium Capitularem, distinguendum est. Aut enim proponitur nullitas, quæ non est contra Tridentin. c. 16. sess. 24. sed alia, puta, quia non omnes Canonici fuerunt vocati ad electionem, vel similis, & tunc ad eundem est Superior Capituli, & coram illo proponenda nullitas dicta (neque enim illa proponi potest coram ipso Capitulo, ut Ventrigl.) per quem si deputatio, seu electio fuerit revocata, & declarata irrita, poterit Capitulum denuo congregari, & ad novam Vicarii electionem devenire. Ventrigl. loc. cit. n. 31. citans Vulpe. in pr. for. judic. c. 44. num. 31. Pax Jord. l. 12. tit. 2. n. 42. citans Quarant. qui testatur, sic responsum à S. Congregat. Episcopo Surrentino. Si verò est proponenda nullitas contra electionem, eò quod facta contra formam à Tridentino præscriptam, v.g. de non Doctore; & tunc, quia in tali casu vigore ejusdem Tridentini devolutio fit ad Metropolitanum, vel antiquiorem ex Suffraganeis, quando ecclesia Metropolitana vacans est, vel ad viciniorem, quando ecclesia est exempta, nullitas potest proponi coram Metropolitanum, vel coram antiquiore, vel coram vicinorespective. Ventrigl. loc. cit. nu. 32.

Quaestio 555. Num Vicarius eligi possit ad certum & determinatum tempus?

R Esp. Negative, sed eligendus pro toto tempore vacationis ecclesie. Pignat. tom. 1. consult. 23. nu. 10. testans sic definitivè S. Congr. præpositi, negot. Episcoporum. & Regular. in una Sutrino 14. Febr. 1653. & in una Puteol. 14. Novemb. 1659. & sæpe aliàs. Tradit tamen Ventrigl. tom. 2. annotat. 15. §. 2. n. 22. posse Vicarium à Capitulo deputari ad certum tempus, quò elapso statim expiret ejus jurisdictio, & teneatur Capitulum alium Vicarium eligere, vel prædictum confirmare, seu denuo deputare, citat pro hoc Vulpe. in pr. c. 44. & c. 28. qui refert sic decisum à S. Congregat. Concilii. Item Barbof. sum. apostol. decisionum, v. capit. sed vac. nu. 4. & 5. & tract. de canon. & dignit. c. ult. nu. 44. & 45. qui refert declarasse prædictam S. Congreg. melius esse simpliciter absque temporis præfinitione illum deputare. Et sic expressè testatur Barbof. jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 43. S. Cong. Concil. censuisse, capitulum Sede vacante posse certum tempus in Vicarii deputatione præfinire. Item declarasse eandem S. Congregat. die 17. Jun. 1617. posse Capitulum eligere Vicarium cum clausula, quòd non dureret nisi per annum. Idem cum Ventrigl. tenet Pax-Jord. l. 12. tit. 2. n. 39. citans Pavin. p. 2. q. 10. Quarant. &c. Item Meroll. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 35. nu. 35. sic declaratum testans à S. Congreg. ad petitionem Capituli Salernitani.

Quaestio 556. Num eligi debeat Vicarius Capitularis de gremio Capituli?

R Esp. Quamvis Capitulum neque vi juris communis, neque vi Concilii Tridentini teneatur de necessitate eligere in Vicarium personam, quæ est